

tine tamen eis comminatus est Nehemias : quia equidem peccabant peccato scandali, eo quod perturbarent populum judaicum, dum eum ab obser-

vantia suæ legis impediabant, et oblati mercibus quasi ad transgressionem sollicitabant.

DILUCIDATIO IN LIBRUM JUDITH.

Præfatio.

Liber hic a primaria persona agente vocatur *Judith*, quæ vox, teste Isidoro, lib. VII, cap. VIII, idem significat quod *Judæa*, ex hebræa radice *Judath*, id est, *laudare, gratias agere, confiteri*, etc. Unde nomen *Judith* idem est quod latine, *laudans, confitens Domino*. Quamvis non improbabile sit, secundarium scriptorem hujus libri esse Joachimum pontificem; nihil tamen certi desuper statui posse videtur.

De eodem libro S. Hieron. Epist. III ad Chroamatum et Heliodorum episcopos, sic scribit : *Apud Hebræos liber Judith inter hagiographa legitur : cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Chaldaeo tamen sermone conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librum synodus nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ, imo exactioni; et sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi,*

magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transferens, etc. Ex quibus colligitur, quod autographum, cujus nos exemplar habemus; translatum fuerit chaldaeo sermone conscriptum.

Præter exemplar chaldaicum adducitur a nonnullis aliud hebraicum, aliud græcum, quæ an genuina sint, disceptatur. Extare etiam libri *Judith*, sicut et *Estheris*, *Tobiæ*, et *Deuteronomii* syraicam versionem, quæ jam a multis annis e græco in Origenis Hexaplisposito textu expressa fuit, testatur Andreas Masius in epistola dedicatoriâ Philippo Hispaniarum regi, quæ præfigitur explicationi ejus in librum *Josue*.

Materia libri est victoria *Judith* de potentissimo tyranno assyrio: per quam allegorice significatur triumphus beatissimæ Virginis Mariæ de capite, seu principe serpentis infernalis, tropologice victoria fidelis et piæ animæ de diabolo, carne et concupiscentia.

PARS DECIMA SEXTA.

QUESTIO PRIMA. — AN LIBER JUDITH SIT CANONICUS.

Hunc librum quidam hæretici ea communi ratione e sacrorum librorum numero explodunt, quæ alios quosdam; quia nimirum nec hebræa lingua scriptus est, nec in Hebræorum canone continetur. Sed Ecclesiam non astringi canoni Judæorum, inter alia inde liquet, quod Spiritus S. non minus adsit Christi Ecclesiæ, quam olim adfuit synagoga: ac proinde certum est, Ecclesiam non minorem habere auctoritatem ad statuendum sacrorum librorum canonem, quam olim habuit synagoga. Linguam quoque hebraicam esse impertinentem ad hoc, ut liber aliquis sit Scriptura sacra, certissimum est: cum Spiritus S. quibusdam scriptoribus sacris auctor fuerit, ut chaldaice, aliis ut græce scriberent. Itaque contra hæreticos

R. et dico: Liber *Judith* inter canonicas scripturas referendus et computandus est.

Prob. I. Quia præterquam quod concilium Tridentinum librum *Judith* canonicum declaraverit, etiam

jamdedum ante eundem inter canonicas scripturas retulerat nicænum, ut liquet ex verbis S. Hieron. in præfat. citatis; siquidem hic S. doctor asserit quod apud hebræos liber *Judith* inter hagiographa legitur; id est, inter sanctos libros numeretur, qui tamen non sint idonei ad dogmata fidei confirmanda: deinde huic Hebræorum opinioni opponit nicænae synodi auctoritatem; ergo teste S. Hieron. nicæna synodus librum *Judith* ita retulit in numerum sacrorum librorum, ut eum idoneum esse censuerit ad fidei dogmata confirmanda. Jamvero liber qui a concilio generali tali modo in numerum sacrorum librorum refertur, est vere canonicus; ergo, etc.

Nec obest quod S. Hieron. in prologo galeato videatur librum *Judith* ponere inter libros apocryphos; quia ipse hoc scripsit quando necdum exstabat, aut certe necdum ipsi innotuerat ullus canon sive summi pontificis, sive Ecclesiæ universalis, qui librum *Judith* inter canonicas scripturas referebat. Unde cum postea in ejus notitiam venit declaratio concilii nicæni, librum *Judith* velut scripturam canonicam agnovit, ut liquet

tum ex supra dictis, tum ex epist. ejus CXL, ubi sic scribit: *Ruth et Esther, et Judith tantæ gloriæ sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.*

Prob. II. ex aliis antiquis patribus et scriptoribus.

Hilarius pictaviensis in ps. CXXV librum *Judith* inter libros legis enumerat, et ex ejus cap. XVI sententiam velut sacram allegat. Clemens Alexandrinus, lib. IV Stromatum, *Judith* collaudat ab iis factis, quæ liber ejus continet. Rupertus lib. XII de divinis Off., cap. 25, de libris *Tobiæ* et *Judith* ita scribit: *Hæc duo volumina apud Hebræos non sunt in canone: sed nicænae synodi auctoritate ad instructionem venerunt sanctæ Ecclesiæ.* Origenes, hom. ult. in *Judices*, *Judith* collaudat, ejusque refert historiam; ac etiam ejus meminit hom. 27 in *Numeros*. Tertullianus, cap. ult. de *Monogamia*, historiam *Judith* pro vera habet.

SOLVENTUR ARGUMENTA. — Obj. I. In libro *Judith* fit mentio *Bethuliae*; atqui hæc nusquam nota est, nec ullibi exstat. Item *Josephus*, qui historiam *Judæorum* scripsit, nullibi meminit historiam *Judith*; ergo hæc historia est merum figmentum.

R. Neg. min. Nam *Bethulia* fuit urbs Galilææ, sita vel in confiniis tribuum *Issachar* et *Manasse*, ut vult *Guillelmus de l'Isle*; vel in quodam monte tribus *Zabulon*, non procul a *Dothaim* versus austrum, a *Seythopoli* versus septentrionem, a *Tiberiade* versus occidentem, ut tradunt *Boehardus*, *Adrichomius* et alii; ac proinde falsum est quod *Bethulia* nusquam nota sit, nec ullibi exstat.

Addi potest, debere sufficere quod *Bethulia* nominetur in libro quem veteres, uti et recentiores, pro sacro agnoscunt et recipiunt.

Ad *Josephum* quod attinet, satis est quod neque librum, neque libri historiam rejiciat, quam veteres orthodoxi recipiunt. Ac proinde argumentum, ab auctoritate *Josephi* deductum, est pure negativum. Dicendum itaque cum *Natali Alexandro*, quod nihil prorsus probet argumentum, quod adversus libri *Judith*, ac etiam libri *Tobiæ* dignitatem et auctoritatem ex *Josephi* silentio ducitur; nam et *Jobi* historiam, et infantium eadem aliaque præternisit.

Obj. II. In hoc libro occurrit manifesta contradictio circa numerum militum, quos in exercitu suo dicitur habuisse *Holofernes*: nam cap. VII, 2, dicitur: *Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, et equites viginti duo millia.* Et cap. II, 7, non nisi duodecim millia equitum sagittariorum recensentur.

R. neg. assumpt., et ad verba objecta dico cum *Serario*, quod initio non fuerint nisi equitum sagittariorum duodecim millia; sed ad hæc duodecim millia postea accesserunt decem millia equitum. Submittit enim *Nabuchodonosor* statis temporibus novas legiones ex *Assyria*, nec volebat, nec tutum putabat, solis auxiliatricibus copiis exercitu adæucto, bellum hoc maximum geri; quinimo et ipsemet parabat subsequi paulatim cum flore totius imperii,

ut promiserat abeunti *Holoferni* cap. 2, juxta textum græcum.

Obj. III. Cap. VIII, 1, *Judith* describitur esse de tribu *Ruben*; et tamen cap. IX ipsamet asserit, se esse de tribu *Simeon*: atqui in his rursus est manifesta contradictio; ergo, etc.

Putant aliqui *Manassen* virum *Judith* fuisse ex tribu *Ruben*, ipsam vero ex tribu *Simeonis*, sicque in genealogia *Judithæ* positum esse protoparentem mariti ejus. Sed id admitti non potest, cum juxta textum græcum ejusdem tribus et patriæ cum *Judith* dicatur fuisse *Manasses*. Alii putant cum historia scholasticæ, quod *Judith* ex linea paterna sit de tribu *Ruben*, ex linea vero materna de tribu *Simeonis*, atque propterea utrumque cap. VIII exprimi. Sed præterquam quod hæc sit mera conjectura, nullum prorsus habens fundamentum, etiam contra est, quod *Simeon* dicatur esse filius *Ruben*, et consequenter etiam ejusdem tribus. Alii denique asserunt, *Ruben* citato capite poni mere, ut erat frater *Simeonis*, et ejusdem in expeditione *Sichimorum* socius. Sed contra hoc assertum rursus est, quod juxta textum *Ruben* ponatur tanquam pater *Simeonis*; et ubicumque in Scriptura similis ordo servatur in majoribus enumerandis, unus ab altero descendit. Unde

R. I. Quandoquidem textus græcus nihil habeat de *Ruben*, sed loco *Ruben* legat *Israel*, et similiter S. *Fulgentius* adducens hunc *Scripturæ* textum epist. 2, cap. 14, circa medium, loco *Ruben* legat *Israel*: videtur posse dici cum *Bellarmino*, *Serario*, *Saliano* aliisque; in citato textu esse mendam, et loco *Ruben* legendum esse *Israel*.

Nec refert, quod ipsemet *Bellarminus* juverit plurimum correctores romanos bibliorum, et tamen loco *Ruben* non posuerit *Israel*, quia fatetur ipse, epist. ad *Lucam Brugensem*, adhuc quædam esse menda in *Vulgata* nostra editione, quæ corrigi possent. Interim sequendo *Vulgatam* nostram, aliosque codices latinos, in quibus constanter habetur: *Filii Ruben*,

R. 2. *Simeonem* et *Rubenum* in *Vulgata* nostra recensitos, non fuisse immediatos *Jacobi* filios, sed aliquos posteriores, quorum proavus fuit *Simeon* patriarcha filius *Jacobi*. Itaque hic *Ruben* non est patriarcha ac primogenitus *Jacob*, sed est vir illustris ex tribu *Simeon*, ad quem cap. VIII hujus libri genus *Judith* perducit *Scriptura*, in eoque terminat, non progrediendo ad ejus patres et avos usque ad *Simeonem* patriarcham, secundum *Jacobi* filium. Patet hoc ex eo quod *Ruben*, primogenitus *Jacob*, nullum habuerit filium, qui vocatus est *Simeon*, ut liquet ex *Gen. XLVI, 9*, et *I Paralip. V, 5*. Ita A *Lapide* citans *Lyrannum*.

Obj. IV. Videtur hic liber adversari libro *Genesis*, nam infra, cap. IX, *Judith* in sua oratione summo laudat factum *Simeonis* et *Levi* in eade *Sichimorum*: atqui tamen hoc facinus cap. XXXIV, et *XLX* lib. *Genesis* omnino improbat et condemnatur; ergo, etc.

R. Neg. maj., et ad probationem respondeo 1. cum Estio in cap. IX lib. Judith, nihil propterea detrahi auctoritati canonicae hujus libri; siquidem non Scriptura ipsa loco citato commendat seu laudat factum Simeonis et Levi, sed ipsa tantum Judith in sua oratione. Non est autem necesse verba ejus omnia habere pondus et auctoritatem Scripturae sacrae; sicut quaest. 3, patebit in verbis quae ad Holofernem locuta est.

Et revera, dicta, facta, orationes, etc., non propterea debent esse vera, exempla adducta non debent esse justa et sancta, ut manuteneatur auctoritas canonica alicujus libri; alias permulta in libro Job et aliis deberent dici non canonica, utpote contra Deum, proximum justitiamque militantia, quae proferuntur ab amicis Job, ob quae etiam a Domino graviter culpantur cap. ult. libri Job. Ut ergo maneat auctoritas canonica libri, sufficit vere sic dicta, sic facta esse, etc., ut in libro canonico scribuntur. Manebit proinde hic liber canonicus, etiam quoad orationem Judith, modo ipsa sic a parte rei oraverit, sicut eam orasse narratur, licet non sit verum quod divinitus gladius seu robur ad pugnandum contra Sichimitas datum sit Simeoni, et licet summe peccaminosum fuerit factum istud Simeonis. Quidni enim potuerit femina, etiam sancta, apprehendere factum hoc tanquam bonum, licet tamen a parte rei esset iniquissimum; atque ex illa apprehensione sic orare: *Domine Deus patris mei Simeon, etc.*? Certe ex iis quae protulit coram Holoferne, mendacis, non sequitur: Judith putavit in tabulis urbis angustiis sic esse mentiendum; ergo juxta sacram Scripturam tunc est licitum mentiri. Ergo similiter non sequitur: Judith putavit factum Simeonis esse justum et sanctum, et illa mens Judith exprimitur in Scriptura; ergo juxta Scripturam factum Simeonis fuit justum et sanctum.

Resp. et dico 2. In facto Simeonis et Levi duo posse considerari: unum ex parte Dei, alterum ex parte hominis. Per Dinæ stuprum violentum, divina majestas et naturae lex erat violata; neque scelus vera poenitentia deleverant stuprator et fautores: adeoque ex decreto, sen ex parte Dei poterant juste occidi: stuprum enim violenter illatum, meretur mortem. Hanc inferendi zelo ardebat cum suis Simeon, indignissime ferens, rem tam foedam fuisse patratam contra Israellem; et sic zelus seorsim consideratus merito commendari potuit, et ad executionem illius potuit intervenire Deus, sano sensu dans vires et potestatem gladii Simeoni et ejus fratribus, ut condigna factis reciperent Sichimitae. Alterum in isto facto considerari potest ex parte hominum, quod tali fraude, furore, tam universaliter nocentes cum innocentibus, atque medio tam illicito occiderint viros omnes. Posterius injustum et pessimum fuisse, liquet ex libro Genesis. Sed prius ex parte Dei et zeli seorsim spectati, bonum esse, diffitetur nemo. Porro prius tantum laudat Judith orans, et hinc specialiter dicit: *Qui zelum tuum zelaverunt.*

Ceterum, quod in uno opere, quod alioquin malum est, maloque modo peragitur, aliquid boni et laude digni possit reperiri, patet Lucae XVI, 8 et seq., ubi laudatur fraudulentus ille villicus iniquitatis, ejiciens e villa, qui, ut conciliaret sibi animos debitorum domini sui, remisit ex debitis domini. Sic remittere injustum erat, et domino perniciosum. Laudatur tamen, quod prudenter fecisset, non quia debita remisit, non quia injurius fuit domino suo; sed quia voluit sibi facere amicos de mammona iniquitatis. Idem pariformiter dic de facto Simeonis.

Inst. Judith simpliciter et sine ulla restrictione laudat Simeonis factum: ait enim quod Deus dedit illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem. Ergo non tantum laudat factum istud, in quantum se tenet ex parte Dei, et zeli seorsim spectati, sed etiam in quantum se tenet ex parte hominum, et modi quo peractum est.

R. neg. conseq.; nam Deus potest dare gladium vel potestatem aliquid faciendi, sic tamen ut id ex parte hominis exequentis vere sit impium et injustum, tum propter malevolam animam, quo exequitur, tum propter impium modum. Ex parte Dei, volentis morte puniri stuprum illatum Dinæ, nihil erat injusti; ex parte Simeonis et Levi, non respicientium ad voluntatem divinam, sed potius vindictae et crudelissimis fraudibus inhiantium, totum erat impium ac injustum. Simile habetur Jeremiae XXV, 9 et seq., ubi Nabuchodonosorem Deus vocat servum suum, quia Jerosolymam cepit, templum evertit, populum partim abduxit. Ex parte Dei totum justum erat ob criminam pessima populi: usus erat Deus tanquam instrumento vindictae suae, quasi servo suo, Nabuchodonosore. An propterea immunis a peccato Nabuchodonosor? Minime. Quia Deus animo malevolus Nabuchodonosoris et tyrannico usus est tantum ut vindictam sumeret de peccatis populi judaici. Novit ille de pessimis optima et maxime salutaria pro populo aliquo, vel etiam pro populo universo producere. Similiter apud Ezechielem, cap. XXIX, 18, dicitur: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est: et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam... 20: dedi ei terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* An propterea tyrannica omnia et crudelissima, quae in Aegyptio exercuit, excusabilia sunt? Nequaquam. Similiter ergo ex parte Dei justum erat ut filius Hemor et alii rei Sichimitae luerent morte scelus patratum: zelus, quem primo conceperant fratres Dinæ, nude in se consideratus, secundum Deum erat, orare poterant ut augetur zelus, et effectum suum haberet, ut nempe filius Hemor, alique rei Sichimitae morte luerent impietatem contra sororem peractam: sed accessit pravitas humana, dolus, et saevitia, quae omnia ex parte ipsorum pessima erant: unde dignas

quidem poenas luerunt Sichimitae rei, sed gravissime peccarunt fratres Dinæ.

Obj. V. Cap. XVI, 31, dicitur: *Dies autem victoriae, hujus festivitatis, ab Hebraeis in numero dierum sanctorum accipitur, et colitur a Judaeis ex illo tempore usque in praesentem diem.* Atqui Judaei, de illo festo interrogati, nihil sciunt, tametsi in servandis festivitibus etiam antiquissimis sint diligentissimi: quinimo consulti eorum libri vetustissimi, nullam mentionem faciunt de hoc festo. Item mox citatus versus etiam non habetur in textu graeco; ergo signum est quod versus ille non pertineat ad veram Scripturam, sed quod forte a quodam sciolo intrusus sit. Vel ut quidam volunt acatholici, ex isto versus quoque patet quod liber Judith non sit canonicus, utpote qui tam apertum continet mendacium, quod nempe illud festum quotannis celebraverint Judaei, cum tamen aliunde ne vel iota habeatur pro celebratione similis festi.

R. neg. conseq. pro utraque parte: fieri enim potuit, ut clare habet textus ab Ecclesia approbatus, quod Judaei a tempore peractae historiae, vel modico tempore postea solemnitatem annuam instituerint, quam non descripsit primus scriptor hujus libri; et quam tamen postea ex instinctu Spiritus sancti supplevit alius hagiographus, quemadmodum et finis Deuteronomii, a Moysse verosimiliter non conscriptus, ab alio scriptore suppletus fuit. Ad illud vero quod in objectione dictum est, scilicet Judaeos de hoc festo nihil scire, non est generaliter verum; nam quod equidem aliqui ipsorum illud festum non ignorent, aut saltem olim non ignoraverint, patet ex quodam veteri eorum calendario, quod profert Tornielius ad annum mundi 2,545, num. 55, in quo illud festum ponitur 25 novembris. Idem testatur Sigonius, lib. III de Republ. Judaeorum, cap. 17. Unde etiam verum non est quod consulti eorum libri vetustissimi nullam mentionem faciant de isto festo.

Obj. VI. Non constat quo tempore acciderint ea quae in libro Judith narrantur; utrum ante captivitatem babilonicam, an post eam. Ergo liber ille non continet veram narrationem rei gestae.

R. neg. conseq.: nam ad hoc ut alicujus rei historia sit vera, constetque esse veram, et a Spiritu sancto dictatam, non est necesse quod constet quando vel acciderit, vel scripta sit. Et ideo sicut non sequitur: Non est certum quando, vel ubi Moyses scripserit librum Genesis; ergo illum non scripsit, aut ille liber non est canonicus. Item: Non liquet quando historia Job contigerit; ergo non contigit. Rursum: Non liquet an Christus baptizatus fuerit anno trigesimo aetatis suae inchoato, an eo finito; ergo non fuit baptizatus. Sicut ergo haec et similia alia argumenta non concludunt; sic pariter hoc haeticorum argumentum non concludit. Ita ad argumentum istud respondet Sylvius.

QUAESTIO II. — AN JUDITH PECCAVIT ORANDO, UT CAP. IX, 13, ET ADEUNDO EXERCITUM HOLOFERNIS, UT CAP. 10 NARRATUR.

Cap. IX, 13, ita Dominum Deum orat Judith: *Capiatur (Holofernes) laqueo oculorum suorum in me, et percussus eum ex labiis charitatis meae.* Videri alicui posset, quod hac oratione, ut verba sonare videntur, ad impurum in Holoferne amorem excitandum, provocaverit Deum, quasi sic indicans, quod Deus posset esse libidinis incensor, quod est in Deum esse blasphemum. Interim

Resp. et dico: Sancte et juste potuit Judith orare: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me*, non utique per obscenum amorem, sed, ut contingit non infrequenter, per benevolentiam quamdam, quasi diceret: *Fac, Domine, ut ipse, videns meam pulchritudinem, mihi benevolus sit, admet me, et credat blandiloquis verbis meis, fac hoc; Domine, non inspirando credulitatem mendacem, sed relinquendo eum in tenebris caecitatis suae; apprehendat me prospera nunciare Assyriis, ubi interim interitum eorum meditator.* Praeterea cum Judith esset libera, etiam ex divino auxilio petere poterat, ut placeret illi, cui jungi quamvis non vellet, posset tamen, modo per hoc avertere valeret malum ingentissimum a tota Judaea, sicut et Esther petere potuit ut placeret Assuero ad liberandam judaicam gentem, per Amani impietatem morti destinatam.

Nec temeraria censenda est, quae post probatam toto vitae tempore per jejunia, orationes, cilicium, etc., castimoniam, nec nisi Deo consulto, ob tantum patriae et religionis discrimen adire voluit exercitum hostilem, in quo periculum quidem pateretur aliquid, sed illud incurrere ob causas gravissimas, non videtur illicitum, aut temerarium; praecipue dum persona, qualis erat Judith, religiosissima et castissima, ex Dei, patriae et religionis amore periculo illi se exponit, quod tunc tantum remotissimum, non autem proximum aut morale censendum est. Hinc elucet disparitas inter Judith, et levioris sortis puellas, coetus personarum diversi sexus adeuntes, in quibus ad libidinem composita sunt omnia, nec alia habetur conveniendi utilitas aut necessitas, quam delectatio sensibilis, carni grata, per lusum, tripudia, etc., in quibus serius aliquando discunt, quam proxima sit flamma fumo.

Dices: Licet Judith intendere potuerit amorem Holofernis in se honestum; praescire tamen poterat, et debebat, infidelem illum erga feminam judaeam non concepturum alium amorem quam libidinosum, et extramatrimoniale; ergo peccavit eum volendo inducere ad amorem.

Praeterea, etiamsi Holofernes Juditham ducere voluisset, nullatenus ipsa consensisset in matrimonium cum impio et gentili Holoferne; ergo Judith volens amorem Holofernis, amorem voluit impurum prorsus et spurium. Atqui non sunt facienda mala ut eveniant bona; nam sicut non licet aliquem inducere in ebrietatem, v. g. ut civitas, regnum, imo et religio